



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia V. Magdalena gestit adire Christvm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Quem latet arcani nulla latebra specus.  
 Vos iuga, vos valles, testes, vos æquora testes:  
 Sidera vos testor; testis & omnis ager.  
 Non est quā fugiā, fallamvē tremēte sub vmbra.  
 Ergo redux solio C H R I S T E recurro tuo.  
 Erravi fateor, pleno scelus eloquar ore,  
 Euoluamque meo monstra reposta sinu.  
 Ite genis igitur magnis mea crimina riuis,  
 Crimina fluminibus turbida vena meis.  
 Ite pij gemitus, & anhela volumina questus,  
 Quæ dolor alternis dat remeare modis.  
 Magdala quāta stat! heu! stat tota perēne duellū,  
 Vnde tot in clades tela recusa meas.  
 Nullius in superas bellant mage lumina sedes,  
 Nullius os Diuīs prælia plura serit.  
 Heu! quoties redit illius mihi labis imago,  
 Mors animo toties ingruit atra meo.  
 Sed mors hæc sine morte, necis graue prorogat  
 æuum,  
 Vnde mihi lenti sæcla doloris eant.  
 Quis dabit abrumpam longæui vincula luctus,  
 Quæque trahunt diros ferrea sæcla metus?  
 Ritè mōnes Metanœa, tuas aduoluar ad aras.  
 Hic nouus antiquat pristina damna dolor.

## E L E G I A V.

M A G D A L E N A gestit adire  
 C H R I S T U M.

A V G V S T V M auspicium felicibus appreco  
 ausis:  
 Iam noua non solitis labere vita viis.

Aureus

Aureus argenteis voluetur ab imbris orbis:  
Currite fletiferis vitrea saecla rotis.

Currite Amoris iter, nec erit mora longa saluti.

Quis teneat volucres, quos Amor urget, equos?

Hinc requies mihi nulla, comis ni vinxero

C H R I S T V M,

Et fidis lacrymis sanxero pacta fidem.  
Ibo celer, quocumque toro meus accubat ignis,  
Effringamque tuas hospes auare fores.

Arripotens bellator Amor, ni limina pandas,  
Surda triumphali claustra refringet equo.

Victor ut inuitis graffatur in atria valuis

Aeolus, & thalamis sceptra sonora regit:

Sic ubi ferrato devincta repagula nodo  
Rupero, iam domitis imperiosa seris,

Oprobrij domitrix, debellatrixque pudoris,  
Regnabo dominâ Regia Diua domo.

Si rigidi hic vectes, surdusque in limine custos,

Et quadrupes pugnat ianitor ante fores;  
Nil moror irato pugnantes cardine postes,

Et nimium duras ad mea vota seras.

Arceat (arcet enim) malus hospes, & hostis amanti:

Durior illiso ter pede claustra ruam.

Et simul, Auster ut haurit aquas, & Aquarius  
imbres;

Sic & ego lacrymis Pleias aquosa pluam.

Fortè mihi surgent læti hæc post nubila soles:

Sirius è pluviâ Pleiade feruet Amor:

Igneaque erumpet mœstis è nubibus ætas,

Deque doloris aquis vita serena fluet.

E L E -